



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Epistolæ Præpositorum Generalium Ad Patres Et Fratres Societatis Jesu**

**Oliverius, Horatius**

**Pragae, 1711**

XIX. Ejusdem ad Superiores Societatis. Anno 1604. 20. Aug. De  
solicitudine, & vigilantia Superiorum erga subditos

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55386](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55386)

Præpositorum Generalium  
Societatis JESU

XIX.

R. P. N.

CLAUDII  
AQUAVIVÆ

Præpositi Generalis V.

Decimaquarta,

Ad Superiores Societatis.

Anno 1604. 20. Augusti.

*De sollicitudine & vigilantia Su-  
periorum erga subditos.*

I. **Q**UOD spiritualis præfecturæ cu-  
ram à sanctis Deumque timen-  
tibus viris reformidatam sem-  
per, omnique studio declinatam legimus;  
non ea sanè causa est, quòd plurimum illa  
meriti non habeat, aut humili obedientiâ,  
cùm à Deo imponitur, suscipi non debeat;  
sed quòd res & summæ sollicitudinis plena  
sit, & propter varias humanæ infirmitatis  
circumstantias, assiduâsque tentationes innu-

*Superio-  
rum mu-  
nus grave  
onus.*



meris periculis exposita. Quippe cùm  
 ipsis etiam omissionibus, & de culpis ali  
 nis, quas malè gubernando nostras inter  
 dum facimus, exactissimam Deo rationem  
 reddituri simus. Unde quoties animum re  
 fero ad grave illorum Superiorum discer  
 men, qui à me tamquam à capite suo mem  
 bris suis præpositi, ad curam oneris, quo  
 sustinent, excitandi mihi instituendique  
 sunt; satis intelligere potestis, Patres  
 ctissimi, me meum ipsius supra ceteros  
 riculum intueri, ac meritò pertimescere.  
 Itaque urget me idipsum & admonet, ne  
 præteritæ unquam diligentia recordatus  
 conquiescam; sed nullum ut finem faciam  
 me unà vobiscum ad pastorale hoc munus  
 magis magisque novis cohortationibus  
 flammandi. Et quamquam de instructionibus  
 pro Superioribus ante aliquot annos mihi  
 nupérque edita in lucem, resciri non  
 possit (eò quòd ad paucos, ut audio, ad  
 pervenerit) quosnam fructus in hanc par  
 tem allatura sit, quamvis uberes illos caritatis  
 & vigilantia vestra sperare me jubeat; me  
 men cùm oculis pateant incommoda, quorum  
 quorundam immediatorum Superiorum  
 tio in dies suboriuntur; impellit me officii  
 necessitas, ut omnes iterum hac occasio  
 ne ad text illorum capitum lectionem usque



que ex animo amplectendum exsuscitem.

2. Multis autem studio prætermiſſis, *Tres fines considerã- di.* quæ à me in eo libello, quàm minimè malè divino concessu licuit, indicata & commen- data sunt, nunc solùm hoc monebo, summo- pere in primis necessarium videri, ut tres fines considerentur, quorum gratiâ suscipi aliorum curam debere S. Augustinus obser- vat: *Obediendi, inquit, subveniendi, & Deo placendi caritate.* Quibus scilicet apertè do- cemur, quàm sollicitos & quàm vigilantes esse nos conveniat. Quia si obediendi stu- dio ducimur, ut his nimirum, qui onus hoc imponere poterant, Deoque, qui eorum im- perio nos regit, obsequamur; minimè ob- scurum est, quàm parùm hujus obedientiæ numeros expleturi simus, & parùm accura- tè, levitèrque officio functi fuerimus: aut si ut tot personis subveniamus, eisque in adeò gravi & cum ipsa illorum salute ac perfectio- ne conjuncto ministerio inserviamus, nihil præter mediocrem quamdam & vulgarem diligentiam præstiterimus. Nam si id agimus, ut Deo placere studeamus, præterquam quod ipse toto cordis affectu & eoli vult, & meretur; verbum ipsum *placendi* quantum in eo nobis elaborandum sit, liquidò declarat.

3. Veniat ergo in mentem, nos eorum *Superior sit forsis,* similes esse, quos Præfectos & Exactores scri-



*Et longa-  
nimis.*

Scriptura vocat, Hebraea vero lingua fortitudinem, ac perseverantem longanimitate significanti voce designat. Quod si nostrum est finis Societatis, id est salutis perfectio propria simul & proximorum contat profectò enitendum nobis esse omnibus nervis, ut subditi nostri hunc finem adipiscantur, si honestam utcumque & habitabilem vitam ducant, nisi ad sui perfectionem, magnis quasi passibus contendant: neque eo contenti, quod sua ipsorum causam curant, in proximorum quoque salutem seriò & viriliter incumbant: quandoquidem hoc etiam ad Superiorum officium curaeque pertinere manifestum est. Ac putandum revera, quòd cum illustres sint fructus quos per Societatis ministeria tum in Ministris, tum plurimis aliis modis divina benedictio elicit, quando Superiores invigilantes ipsi tamen saepenumero dormire & torpore videantur.

*Quantum  
obstet Su-  
perior re-  
missus?*

4. Sic itaque statuere, sibi que pro dubio persuadere debent, se tam in defectibus qui cernuntur, quàm in bonis operibus quæ prætermittuntur, non minimam neque postremam culpæ partem sustinere: magnamque adeò disciplinæ laxitatem & negligentiam ex eo nasci, quòd hac de re aliter fortasse sentiant. Dum enim culpam omnem



in subditos conjiciunt, & aliud præstare se posse diffidunt; rem suo pte nutu fieri sinunt, dolore contenti, quem ex ejus ruina capiunt. Atqui magnam in Superioribus culpæ partem residere, satis demonstrat aut morbi ipsius in nonnullis subditis vetustas, quòd vel nulla illis, vel minùs apta remedia admoverint, aut ipsa ejusmodi defectuum in Collegio vel Domo quapiam frequentatio communis. Neque enim existimandum est, tum communes tantummodo dici posse defectus, cum in eos prolapsi omnes fuerint; sed tum etiam cum multos occuparint: ut contra error esset communem Collegio culpam appellare, qua unus tantum aut alter ex imperfectioribus teneretur.

5. Quamobrem incumbant, Dei amore, in munus suum omni cura & contentione, procul habitis omnibus aliis occupationibus, quæ animos avocare & distrahere possint. In quo sanè scrupulum haud levem duci & haberi par esset, adeò ut non semel animum subierit cogitatio, an expediret, mulierum confessiones Superioribus interdicere, quòd his audiendis multum temporis exiguo fructu conteri soleat; via sterna ad visitationes; turbari interdum etiam per æmulationes, aliásque occasiones pax domestica, non sinè magno debitæ erga Superiorio-

*Totum se  
se muneri  
suo det.*



riorem reverentiae amorisque detrimere.  
Dedant se orationis rerumque internarum  
studio, quemadmodum regula praecipit,  
D. Bonaventura, Sanctique omnes vocan-  
rantur, ac nos ipsi diversis Epistolis, in-  
structionibusque nostris abunde commonuimus.  
Examen adhibeant, non modo defectuum  
personalium, sed eorum etiam, qui ad Sa-  
periores, quatenus in eo munere versantur,  
proprie spectant.

*Horam  
considera-  
tionis, &  
alia ser-  
vet.*

6. Inculco etiam atque etiam quod  
possum animi sensu, quod multis ab hinc  
nis de hora considerationis praescriptum  
quam & ab effectis ipsis, & ex variis re-  
nibus sentio, neque adeo universim, ne  
ita serio usurpari ac Societatis necessitas  
stularet. Legant studiosissime S. Bonave-  
turae opusculum De sex alis, quod in  
usum brevioribus paginis efformandum  
ravimus: & licubi forte non superant  
emplaria, dent operam Provinciales, ut  
rum excudantur. Instructionem quoque  
nostram, & Industrias, ac praeter omnibus  
regulas sui officii. Meminerintque hoc  
se primum exigere, ut praesentes Collegii  
quisque suo adsint, non tam corpore, quam  
mente & attentione: sui muneris esse invig-  
lare, arguere, corrigere, exhortari, ob-  
am ire malis eorumque occasionibus, pra-



lucere exemplo ; objectasque difficultates  
forti & constanti animo pervincere : nec le-  
viter peccare se credant, si incuriam vel ne-  
gligentiam suam permittant, ut peccata quam-  
vis levia propagentur : quando his disciplina  
enervatur, & religionis facies ac nitor ob-  
ducitur, dum nescio qua ignavia, perversa-  
que consuetudine, quae parvi fiunt magno  
sanè cum incommodo & noxa contemnun-  
tur, qualia sunt neglecta silentii observatio,  
crebrae confabulationes, sermonesque re-  
rum novarum, murmuraciones & susurratio-  
nes, litteras dandi atque accipiendi impuni-  
tas, proluxa cum feminis colloquia, inutiles  
visitationes, & alia id genus ; quae quoniam  
quibusdam in locis usitata sunt, Superio-  
rum oculos, licet magno alioqui zelo videan-  
tur, non perinde offendunt. Et tamen ab  
hiscè defectibus gravissima interim damna  
consequuntur : praefocatur spiritus, ac devo-  
tio : minuitur affectus & observantia adver-  
sus Superiores : laeditur aedificatio proximi,  
bonumque nomen, ac fama Societatis : unio  
denique & caritas fraterna labefactatur. Et  
tamen dissimulat connivetque Superior : non  
ignorat amaritudines & aversiones domi-  
versari ; & has tolerat ; cum officii ratio eas  
quam primum excidi, fratrumque gratiam  
reconciliari jubeat : cumque omnes ejusmo-  
di



di culpas ex gravi damno, quod inferunt non metiantur, ut deberent; earum quoque occasiones, quæ ex variis cupiditatibus, & mulationibusque humanis nasci solent, non anteverunt. Hoc igitur caput impendit quam maximè commendatum cupio: in memoriam revocans quod S. Benedictus in

Cap. 2. gula sua monet, *ut sciat Abbas, culpa Patris incumbere, quidquid in ovibus patris amittit, ut as utilitatis minus potuerit invenire.* Quod docere vellet, severissimam à nobis rationem exactum iri, non solum de jactura, verum etiam de parvo quaestu, hoc est, de exigua perfectione & profectu, quem Dominus in filiis nostris, filiis suis, nactus fuerit.

*Non con-  
niveat  
placendi  
gratiâ.*

7. Advertant Superiores, quod dicitur amari quandoque student, non solido ac rituali affectu, sed humano, subditis suis displicere timent, adeoque habenas remittunt. Sed Dei justo fit iudicio, ut hi multò mirantur quam ceteri, cum solidus amoris tæ exemplo, & opinione sanctitatis, veritate que erga subditos caritatis demonstratione non hujusmodi indulgentiæ actibus, contententur.

*Spiritua-  
lia propri-  
mis pro-  
moveat.*

8. Et quoniam non potest Superior per se omnia complecti, solusque omnia administrare; necesse est S. Bonaventuræ consilio utatur, quod in quinta Ala, quæ est Discretio



tio, his verbis exposuit: *Spiritualia verò, & que ad salutem necessaria sunt & profectum virtutum, principaliter debet animarum custos & rector sibi curanda retinere; cum hac sint de substantia officii pastoralis, & de his maxime sit in iudicio rationem Domino redditurus. Hac sunt, qualiter Regula studiosè servetur, & alia statuta, & ordinis disciplina: itè quòd pax & dilectio sit inter fratres: itè ad ipsum pertinet conscientias singulorum agnoscere, & de quibuslibet perplexitatibus expedire; pericula peccatorum pròvidere & pròcavere; monere fratres ut proficiant, corrigere corrigenda, elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa congruè administrent, quò & fratribus, prout convenit, sufficiant, & conscientiam non offendant.*

9. Maximi, opinor, refert ad bonam gubernationem, si Superiores locales Admonitorem suum libenter audiant: & cum de re quapiam admonentur, hanc tamquam gubernationi suæ utilem & commodam, non quasi illius notam aut reprehensionem excipiant: multòque magis, si cum Provincialis ad visitationem aggreditur, non illum censoris loco habeant, quasi ad ipsos deprimendos, eorùmque in subditos auctoritatem extenuandam advenerit; sed ut eum potiùs, qui majore sua auctoritate auxilio futurus, diffi-

*Admoniterem, & Provinciale libenter audiat.*



difficultatésque contrarias sublaturus  
 Quod ità reapse continget, si Rector hu-  
 lem se illi, subordinatúmque præbuerit,  
 perfecta cum illo consensione, rerúm  
 omnium communicatione usus fuerit,  
 vabit præterea non mediocriter, si cum Pro-  
 vincialis ad visitandum venerit, sinceram  
 ipsi conscientiae suæ rationem illi reddat  
 de singulis, in quibus erratum à se circa  
 ficium, & de impedimentis, quibus in  
 dem retardari se sentiunt. Ac fortasse  
 tererit prima hac vice, conferetque ad  
 ritum & auxilium, si ad nos etiam de eadē  
 re scribant, adjectis difficultatibus, quas  
 suâ culpâ experiuntur; ut informatio, quæ  
 de Collegii sui statu mittent, non ea  
 comprehendat, quæ ad ceteros pertinet  
 sed humilem simul eorum, quæ ad ipsos  
 spectant, narrationem: quod multi jam  
 gno animi candore aliàs fecerunt, facit  
 que etiam nunc, fructu, ut quidem spero  
 sentire illos arbitror, minimè poenitentibus

*Agat,  
 quod agē-  
 dum.*

10. Oro ad extremum, & quanta  
 sum contentione obtestor, ut tanti momen-  
 ti opus seriò omnino, ac toto pectore am-  
 ctantur: neque committant ut tot orationes,  
 tiones, instructiones, & conatus, testimonium  
 in die mortis contra nos dicant, si in  
 sum non inducantur, & in libris tantum co-



sa jaceant. Hoc modo & me & seipfos magnis, quæ impendent, periculis liberabunt, Idque demum simul omnes præstiterimus quod à nobis requirit, tum Beatus Pater Noster, qui è cælis nos respiciens, clamare quodammodo non cessat, *Hoc agite*; tum fides, qua carissimæ parenti obstricti sumus; tum ipsum denique quod Deo Domino nostro debemus, obsequium: cujus gloriâ impensissimè ac studiosissimè sectari nos decet, cum eos curæ nostræ commiserit, quos non solum pretiosissimo Sanguine suo redemit, sed singulari etiam amore, ac providentiâ in hanc sanctam vocationem perduxit. A quo perpetuam vobis divinæ Majestatis præsentiam, & gratiam implorans, me ipsum vicissim ut egentissimum, sacrificiis & orationibus vestris enixè commendo. Romæ 20. Augusti, 1604.

RR. VV.

*Servus in Christo*

CLAUDIUS AQUAVIVA.

EPI-